

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0431

0429

0435

0425

0440

0420

0480

0380

0530

0330

0930

Ende

Anfang

417

non quidem in altum, sed super terram trahebantur in longum
per gyrum radicis, et pendebant in ea multa mala pulchra,
viridis coloris glauco mixto, in quantitate (**b**) duorum pugno-
rum, formae sphaericæ. Haec poma dum vidi semus, affecti
pulchritudine cecidimus de asinis et collegimus carpentes,
nostri autem ductores cum risu processerunt scientes vim illo-
rum malorum, quam nos ignoravimus, sicut nec ipsa poma
novimus nec umquam videramus. Carpentes autem poma qui-
dam statim ad os applicerunt, ut ederent, sed tanta erat
amaritudo, quod labia ante dentium appositionem obstupescabant
et contrahebantur, nec alicujus animalis fel quantumcumque
acutum est tam immensa amaritudinis. Unde in multis horis
habui os infectum, solum ex appositione. Erat autem cucurbita
silvestris, quam coloquintidem nominant, quae dicitur 4. Reg. IV.
mors in olla. De illis pomis accepimus ad nos et volebamus
deferre in patriam, sed tam acuta fuit earum amaritudo, ut
omnia inficeret, quae tangerent poma illa. Unde manus nostræ
multis diebus erant amaritudine infectæ, quæ nec aqua nec
aliis fricationibus potuit abstergi, et cultelli nostri similiter,
quibus ea divisimus. Duo poma ego prima vice posui in spor-
tam nostram, in qua habui carnes et paximatos et caseum,
quæ ita infecta amaritudine fuerunt, quod ea nullo modo
potui gustare, et ita carnes, panes et caseum simul cum co-
loquintide coactus fui effundere, sed et sporta contraxit ama-
ritudinem, ita, quod ea, quæ postea imposui, amara fierent.
In illo ergo torrente per virentia illa processimus contra occi-
dentem sequentes torrentis alveum. Verum cum multum
descendissimus, defecerunt montes petrosi, et iterum in arenam
tenuissimam et subtilissimam incidimus, quæ de montibus in
vallem fluebat, et in illo loco nec gramen nec folium nec
quidquam viride apparebat; nulla enim ibi gramina sata pro-
venire possunt, quippe instabili loco arentibus arenis ad omnem
motum ventorum cedentibus. Ea ibi sola messis est, quæ
celeritate proventus per naturam solis sive aeris ventorum
casus evadere solet. Fertur enim, quod in talismodi locis
a die jacti seminis 30. die maturescunt. Cum ergo venis-
semus, ubi limbus vallis humilior esse coepit, avertimus nos
a torrentis fundo et marginem ascendimus arenosum contra